

47
XII.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,
QUÆ EXHIBET
VENÆSECTIONIS
PATROCINUM,
SIMUL INDICANS
EJUS USUM ET ABUSUM,

Quam

DEO BENEDICENTE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPAE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
ELECTORATUS BRANDENBURGICI HEREDE,
&c. &c. &c.

JUSSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,
SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Excellentissimi, atque Experientissimi,

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
D. ET PROF. PUBL. h. t. DECANI,

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SUI
omni observantia cultu prosequendi,

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura, Privilegiaque legitime capessendi,

Ad diem XXV. Jun. M DC XC VIII. H. L. Q. C.

Publicæ disquisitioni proponet

CHRISTIANUS ALBERTUS Richter/
Sorav. Luf.

RECURSA HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1715.



PROOEMIUM.

Uemadmodum eruditio humana à primis seculis usque varia fata experta est : Ita & Ars medicandi aliis , aliisque erroribus atque defectibus subinde fuit vexata , ut ad perfectionem emergere hactenus non potuerit. Non eximere possumus ab hac excusatione nostrum seculum, quod multi novis, nec solidis opinionibus totam artem in confusionem dare voluerunt. Qui enim è particularum diversis figuraitionibus, humorum acore, & ex mechanica necessitate, omnes in universum morbos, unicè deducunt, necesse habent, ut observationes antiquorum planè rejiciant, omnemque historiam morbi, præcipue circà impetum, tempus, consuetudinem deleant : Unde fere fit, ut quicquid sententiæ eorum & opinionibus non congruit, eo ipso pro falso habeatur. Ex eodem fundamento fluxit, quod aliqui etiam veteres homicidii accusarint, dum venæ sectiones ab iis commendatas, suis cum opinionibus conciliare non potuerunt. Magna loquacitate in evacuationes sanguinis invehunt, & multos animos ita occuparunt. Hoc non e-

A

ve-

venit sine damno medicæ artis, id quod Experiencia nos confirmat. Patientes enim ad sanguinis evacuationes sàpè difficiles sunt, etiam ubi necessitas venæ sectionem imperaret: Imo aliquando, talibus commentis seducti, non modo medio, sed ipsi Medico dissidere, inducuntur. Quapropter in animum induxi, hanc dissertationem conscribere & ostendere, quibus ex fundamentis venæ sectiones svadeantur.

SECTIO I. PRÆLIMINARIA.

CAPUT I. INTENTIO DISSERTATIONIS CLARIUS EXPOSITUR.

Dum Venæsectionis defensionem hic promittimus, non comprehendimus agyrtarum, tonorum &c. inconsideratos abusus.

Non iis patrocinamur, qui absque pathologicâ cognitione Venæsectiones promiscuè sudent, aut in variis morborum generibus sanguinis evacuationes inconvenienter prescrivent.

Potius hic Venæsectionem in genere consideramus, quavis & sub finem Dissertationis brevibus indicare volumus, in quibus morborum generibus Venæsection potissimum locum habere videatur.

Oculos nostros contra illos dirigimus, qui præsenti seculo Venæsectionis usum planè suspectum reddere, & abrogare revoluerunt.

Impugnarunt autem sanguinis per venas evacuationem tribus potissimum modis.

Alii enim Venæsectionem pro remedio summè noxio decla-

Clararunt, ita ut nunquam sine ingenti salutis detimento adhiberi possit. Vocarunt impudenter: Ein Mord-Mittel, & funestam medendi rationem.

Alii dicunt, Venæsectionem non quidem magnopere nocere, sed tamen nullam utilitatem habere.

Alii quandam utilitatem admittunt, sed eam rarissimam appellant, & tam angustis limitibus se circumscribunt, ut vix ullus usus remanere videatur.

Nos ergo pariter tria hic agere habemus. Quippe demonstrandum nobis est 1. Venæsectionem ex se non esse tale funestum remedium. 2. Habere etiam utilitatem. 3. In multis casibus cum magno ægrotantium emolumento adhiberi posse, immo & sœpe necessitatem urgere, ut adhibeatur.

Qui Venæsectionem in quibusdam morborum generibus saltē impugnant, contra illos in genere hic non loquimur. Si quidem multi affectus sunt, ubi & nos idem cum illis sentimus. In specie vero, de morbis nominatim, in quibus svadenda sit, de scopi curativi & præservativi intentione, de loco convenienti, & mensurā, quibus instituenda, non parum forte discrepamus; quod ipsum quoque, quamobrem faciamus, mox subjungemus.

Qui de medicamentis arcānis, de universalibus medicinīs, de Alkheſt &c. gloriāntur, propter quæ Venæsectione non opus habeant, illorum veracitatem ambiguam hic absolutè quidem reddere nolumus: Interim iniquissimè profectò ipsi egrent, si arcanū suū quidem publici juris facere nolint; In defectu vero ejus, methodicis hujusmodi curationib⁹ nos valedicere jubeant. Neotericorum universalia & celebrata ſalia Volutilia aliaque profecto id non efficiunt, ut propterea Venæsectiones, præcipue jam affvetas, diffidvadere liceat, nedū oporteat.

Dum vero de Venæſectione agimus, non adverſamur, ut aliæ quoque sanguinis evacuationes artificiales ſub patrocinium nostrum ſe conferant. Siquidem & nobis integrum erit, à Scarificationis, hirudinum & arteriotomiae felici uſu, argumentum defumere.

Oſtendere itaque ſuscipiēmus, quod artificiales ſinceri ſanguinis eductiones in corporib⁹ plethoriciſ, aut commotioni- bus

bus sanguinis ad hæmorrhagias spectantibus, non modo licite
instituantur, sed etiam commode, efficaciter, imo sæpe neces-
sario in usum trahantur.

CAP. II.

EX QUO FUNDAMENTO ARGUMENTA DE-
FENSIONIS DESUMENDA SINT.

Qui in arte Medica ad inveniendas veritates aditum habe-
re vult, is principe loco sciat, quod potissimum & pri-
mariam cognitionem ex ipsa humanæ naturæ indole
atque ingenio haurire possit & debeat.

Ideoque sedulo expendere debet singulas circumstantias,
quibus vita humana peragitur. Debet omnia phænomena, &
actiones tam vitales, quam morales observare. Debet atten-
dere, quid hominibus contingat, & quo eventu id fiat, & quem
ordinem DEUS ipse ad conservationem & sanguinis & partium
posuerit.

Caveat hominem considerare, tanquam nudam machinam,
cujus motus vitales, eorumque proportionatæ directiones ad
multas & fortuitas sæpe alterationes, non solum generalissime,
sed specialiter quoque ab aëre vel æthere, tanquam externo
principio dependeant, & quidem non tam instrumentaliter,
quam efficienter: Nec facile credat, quod acidæ particulæ, aut
quocunque demum sapore, figura, aut magnitudine prædictæ,
quæ extrinfecus in corpus veniunt, vellicatoria sua vi tantum
motum fibris & nervis imprimere queant propria efficacia, ut
illis spasmodicos eventus atque dolores adscribere positis.

Ex moderni seculi conseruacione fere catholica, morbos
plerisque ab acrimonia, aut variatis humorum spiculis, nos
non derivamus. Ideoque nec Venæctionem ex eo funda-
mento defendimus, quasi pessima tantum sanguinis pars ita e-
vacuetur; aut ut vulgus loquitur: Damit das böse Geblüt weg-
gehe. Scio enim, quod æqualitatem sanguinis, & circulationis
distributionem mihi opposituri sitis.

Quapropter & iniquum foret, si mihi vulgarem & quotidiana-

nam

ram formulam contra V. Sectionem exprobrare quis velit:
Das das dünnesse und das subtileste Geblüt weggehe.

Nisi in tota Medicina velim titubare, necesse est, ut internum in corpore humano principium agnoscam, quod actiones moderatur, & motus dirigit: Imo quod ita dirigit plerumque, ut ratio nostra utilē finem, atque ad eō & intentionem, agnoscat: Aut certè innumeris vicibus ad *Teor. àπο μνχαν̄* recurrendum foret, quod hæc omnia inconcepibili modo ita facta sint, & ita immediate per absolutam divinam voluntatem fiant.

Hæc ita esse, non dubitabi, qui tempus, gradum, proportionem, & vicarias motuum substitutiones observaverit, ac qui harmoniam & admirandam connexionem intellexerit, quam in Oeconomia animali, & corporis humani administratione observare licet.

Hic locus non datur, prolixius ea de re agere. Qui explicationem ulteriorem desiderat, evolvat Experientis. Dn. Præsidis doctissimam Dissertationem de Autocratia Naturæ. Nos enim in præsenti Dissertatione faltem agimus de V. Sectionis utilitate, & offendimus, quomodo V. Sectio ad conservandos humores & ad sanitatem prodesse possit.

Facile erit hoc credere, si expendatur, quem ordinem DEUS ad conservandos humores posuerit, & quæ methodus usurpetur, ne sanguis in corruptionem ruat.

Est enim sanguis humor, qui ad spissitudinem magnam promptitudinem habet, & ad corruptionem facile vergit: Primaria ergo naturæ operatio est, ut sanguinem in debita fluxilitate conservet.

Debet enim libero aditu ad colatoria & excretoria vasa permeare, quo subnascentes agilissimas & corruptibiles portiones ibi deponere queat. Fluxilitas autem ipsa illius a motu dependet: Ut autem motus sanguinis liberè succedat, requiritur, ne nimia & superflua sanguinis copia adsit.

Dum vero contingere potest, ut sanguinis copia ad abundantiam augeatur, jucundum est videre, quomodo natura, medicatrice operatione, sibi auxilium ferat. Nempe auget mo-

cus transpressorios, & cum Hæmorrhagiis sanguinem sepi-
sime propellit, aut abundantem portionem per febres mo-
tus consumit, dum aucto pulsus, transpulsus & circumpulsi-
onis impetu brevi tempore magna sanguinis quantitas in se-
rum resolvitur, atque per urinam & sudores expellitur.

Ex quo sane evidenter elucecit, habere Naturam sæpe
numero intentionem, abundantiam sanguinis minuendi. Ut
certe etiam causam vel necessitatem habet, tale quid mature
fusciplendi: Quod si enim negligat, abundantia tolerata, levi-
gri incommodo excutienda, per occasionem gravissimas noxas
inferre potest, quas deinde vel maxima difficultate corriger
oporteat, aut unico suo medio, nempe motu attenuatorio, se-
cretorio, & excretorio *moderatio* plane non potest.

Hæc observatio multum facit ad felicem laboris nostræ
successum. Si enim benevolus Lector talem finem & intentio-
nem, aut saltem rei ipsius utilitatem, commoditatem, imo ne-
cessitatem in successu conservationis corporis humani depre-
hendat; non abhorrebit, nec attonitis auribus audiet consili-
um, quod Vsectionem iudicet. Venæsecchio eandem cum Na-
tura intentionem habet: Venæsecchio vicarium officium subit,
& omnibus his moliminiibus aut periclitationibus tempestiva
& expeditissima ventilatione obviavit, ne Natura prolixè ad
operosos, imo sub impeditiionibus variis, molestissimos mo-
tus, confugere adigatur.

Operæ pretium erit huic meditationi ulterius indulgere.
In sequenti ergo capite secundæ sectionis considerabimus,
quem conservatio sanguinis in corpore humano ordinem ha-
beat, quomodo sanguis in serum refolvatur, & qua ratione na-
tura molestiam Plethorae per consumtionem removere possit
& soleat.

Ne autem de plethora dubium remaneat, mox aliud caput
subjungimus, ut ibi ostendamus, dari omnino plethoram, &
sanguinem in corpore abundare posse.

Demonstrata plethora non sufficit, ex naturæ humanæ ope-
rationibus hoc observasse, quod per consumtionem abundan-
tem

tem sanguinis partem saepissime destruere & removere soleat: Sed maximopere notandum, quod saepissime molestissimos istos & vario modo periculosos motus vereatur, & sinceram potius sanguinis moliatur excretionem. Ad propositum nostrum maximopere faciet, annotare, quod illæ excretiones certa intentione & destinato consilio, tanto magis fieri videantur, quia utique felici successu & eventu fiunt: Ut sane, si quis consilium dare deberet, quomodo hic succurrendum sit, nempe per motus seu media, ad quæ economia corporis sine externis subsidiis habilis sit, omni sua consulta & destinata intentione, nihil convenientius & commodius svadere possit. Ideo in tertio capite Sect. II. agendum nobis erit de Evacuationibus sanguinis naturalibus seu spontaneis, & de Crisibus.

Quid consuetudo hic poscit, & quomodo pertinacem evacuandi intentionem, adeoque & molimina inducere queat, vulgo in Theoria non satis creditur: Practice vero adeo in sensu incurrit, ut non modo quotidiana, sed ipsi plebi notissima sint exempla. Sic ergo in IV. capite docemus, quantam utilitatem V. sectionis consuetudo, ubi convenit, inferat.

Profecto a multis morbis & affectibus corpus humanum liberum evadit, ubi evacuationes naturales & per consuetudinem inductæ rectè succedunt. Evincunt hoc morbi, qui ex suppressione hæmorrhagiarum magno numero oriuntur. De illis V. capite occasio dicendi erit. Quia omnia hæc ad id profundunt, ut appareat, quæ utilitas ex artificiali etiam, tempestiva imminutione sanguinis provenire queat.

Experienciam allegare in negotio nostro non veremur; quotidiana testimonia, de præsenti efficacia V. Sectionum loquuntur, modo sub prudentia medica fuerint adhibitæ. In tertia Sectione monstrabitur, in quibus potissimum affectibus Venæfæcio juvet, ubi subinde indicabimus, quod prudentissimorum Practicorum, & quotidianæ observationes, egregie respondent.

SECTIO

SECTIO II. FONTES PROBATIONIS.

CAP. I. DE CONSERVATIONE ET CON- SUMPTIONE SANGVINIS PER MOTUM.

Quam corruptibile domicilium corpus humanum sit, omnibus constat. In primis vero sanguis ad putredinosam corruptionem maxima facilitate propendet.

Nam universa mixtio partium animati corporis ita se habet, ut ad dissolutionem per intestinum motum situalem, præcipue diu in eodem loco perennantem, promptè eat: Multo magis hoc verum est de sanguine, cuius mixtio inter media corruptionis organa, aerem, humiditatem, calorem durare non posset, nisi ab alio agente, admirando plane artificio, per localem Motum conservaretur.

Sanguis sua natura ad spissitudinem vergit: Quia vero particulas tenues mobiles in sua mixtione haberet, tunc tamen adhuc intestinæ commotioni locus datur, quæ totam massam per putredinosam fermentationem brevi tempore dissolvere & dividere posset.

Ne ergo hoc contingat, spiritus humanus in corpore suo hoc officium habet, ut spissitudinem impedit & in fluxilitate conservet.

Potest hoc impetrare dupli ratione, nempe (1) ut humores sufficienter diluat, & (2) ut a coitu spissitudine perpetuo sanguinem divellat: utrumque necessarium est.

Prius obtinet, si sufficiente potu corpus humectetur. Hinc habent animalia desiderium bibendi & fritim, ut molestiam sentiant, ne ad diluendum negligentius se gerant.

Posteriorem finem perpetua sanguinis per porosas partes corporis facta transpressio exhibet. Est hic motus summe necesse.

necessarius. Per illam enim proprossionem & transpressionem attenuatur sanguis, & in debita servatur fluxilitate.

Imo in perpetua illa circulatione adhuc major usus est: Nempe fluidus sanguis per hunc localem motum frequenti circuitu ad colatoria & secretoria vascula ducitur: Depuratur tali ratione & corruptibilis portiones, agiliores, tenuiores, imo jam ita corruptas, quæ perpetuo subnascuntur, deponit.

Sanguinis mixtio tali proportione constituentium partium combinata est, ut in dissolutiones facile deveniat: Certe ad putredinosam corruptionem summe proclivis est; imo & ordinariè, citra veram putredinem, actu perpetuo secessu in dissolutionem ruit. Semper enim durante attenuatorio motu, tenuissime, & agilissimæ portiones secedunt, quæ si diu in reliquâ Massâ vagarentur, dissolutoriam corruptionem ulterius diffundere possent.

Ait succurrat natura, & noxias subtilitates sub continuo circuitu ab humoribus secernit. Hoc artificio obtinet, ut in integritate sua cohaesione reliquus sanguis diutissimè servetur. Retinetur enim in temperata perpetua proportione, ne aliqua ejus portio temere predominari, dissidium aut divorcium a reliquis facere, & quæ illud fecit, diurna concursatione universam mixtionem sic turbare queat.

Ex his, quæ jam diximus, sufficienter patet, quantum momentum ad vitæ integratatem faciat, ut humores in corpore bene fluxiles sint, & ut progressio sanguinis libere & sine impedimento fieri, imo & augeri possit. Nocent itaque ea, quæ hanc promptitudinem movendi minuant, aut impediunt.

Idcirco facile comprehendimus, quam ob causam Plethora & sanguinis abundantia jam a multis seculis pro multorum morborum matre fuerit habita.

Dum enim nimia sanguinis quantitas in vasis vehitur, motus progreßionis impeditius succedit, nec circulatio tam frequenti circuitu absolvitur. Propterea in aliquo tempo-

ris spatio longiore, Crasis Sanguinis immutari, & in spisitudinem devenire potest.

Abundantia in genere eximiam aliquam noxam immediatè non infert. Postquam vero spisitudinem humoribus semel induxit, tunc ad varios morbos & defectus occasio & facilis disposicio oritur.

Ordinariè Plethora sensum tensivum, gravativum & oppletivum infert, in primis si sanguis per incalescentiam corporis adhuc magis ad turgescendum exagitetur, & vasa atque pori iusto plus diffundantur. Conqueruntur tunc: Essey ihnen alles zu enge, und alle Glieder wären ihnen so schwer. Ubi sanguis in eximio gradu abundat, anhelosam & difficultem, sub corporis motibus praecipue, respirationem habent, quia infarctus sanguis difficiliore expressione e pulmonibus recedit.

Nascuntur ex crasi spisiore imminutiones debitatarum excretionum: In foeminis enim sanguineis plethoricis menses ex hac causa sepiissime cessant. Et Veterum annotatio est, quod sudorifera pariter, ac purgantia, minore efficacia in corpus plethoricum agant.

Quotidiana insuper experientia discimus, & ratione quoque comprehendimus, quod Plethora ad stases & inflammations humores valde disponat.

Quantum impedimentum sanguinis circuitus ex Plethora habeat, in primis eo tempore si exerit, ubi specialis quædam corruptela ex corpore eliminanda est. Humoribus enim non tam liber, nec tam frequens aditus ad colatoria & secretoria vasa datur; unde necesse est, ut febriles commotiones majori cum duratione & impetu peragantur, si Natura fermentativas portiones, qua extrinfecus in corpus venerunt, removere, & ulteriore corruptionem præcavere velit. Concurrit cum his vulgaris observatio de febribus Epidemicis: daß sie vollblütige Leute am heftigsten angreissen. Imo & est observatio, quod in febribus malignis & pestilentialibus mortis periculum in primis illi experiantur, qui valde plethorici & athletice fani fuerunt,

Pos-

Possent hæc, quæ jam diximus, a priori nos docere, ex nimia sanguinis copia impedimentum quoddam atque periculum in corpus humanum redundare: Sed multò magis à posteriori confirmamur, quando in actionibus vitalibus talem Naturæ indolem deprehendimus, quæ superfluos & nimios humores removere & excutere omnimodo nititur. Habet etiam ex concessâ corporis dispositione quasdam facultates, quibus hanc intentionem ad effectum deducere valet. Nempe frequentissimus & valde naturalis Naturæ labor est, per auctum transgressionis, & progressionis motum, superfluum sanguinem consumere & minuere.

Quemadmodum enim in sano corpore, semper multum sanguinis in serum resolvitur, ubi humores saltem ordinario motu volvuntur & conteruntur: Ita facilè intelligitur, quod per eandem quoque viam, nimia quantitas sanguinis in serum resolvi, & ita consumi possit, sive proportionatè augeatur motus circumvolutionis, & sanguis multiplicato proprietatur impetu.

Occurrit hæc Naturæ operatio frequentissimò exemplo, quamvis hæc tenus Medici ferè pauci sint, qui utilitatem impetuosis circulationis ullâ conjecturâ apprehendant. Nos utilem intentionem facilè assequimur, qui ex aliis actionibus non sine egregiâ harmoniâ didicimus, quantum spiritus humanus ad corporis sui conservationem posse, quomodo non præsentem saltem corruptelam removere, sed futuram etiam & imminentem noxam præcavere soleat.

Quamvis ergo, ut in nostra materia maneamus, abundantia sanguinis per se, sensibilem lesionem non æquè faciat; attamen, ne ut antecedens causa aliam producat; & præsentius quidem, in otio, spissescientiam, in motu vero Corporis, turgescientiam: Propterè præservatoriam sui imminutionem Natura prudenti consiliò intendit.

Unde in corporibus plethoricis, de cætero sanis, facilè oriuntur commotiones febriles, Febres epheinere sive dia-

riæ, interdum lenius, interdum extuosis' decurrentes; aut Febres synochæ, quæ ut plurimum magnò impetu agunt. Exoriuntur in primis, si externæ corporis commotiones, sanguinem ad turgescendum excitaverint, aut si vini usus, vel calidorum assumptio, ira, perfrigerationes, occasionem dererint.

Majorem lucem dabunt sequentia capita, ubi annotabuntur, quomodo suppressis hæmorrhagiis, obstructioni mensium, intermissis V. Sectionibus, febres acutæ superveniant, quibus sanguis ad excretionem, paratus, obimpedicum exitum, resolvitur intus & consumitur.

Antequam ulterioribus probationibus confirmem, quod Natura Plethora imminutionem omni modo intendat, utile erit, in subsequenti capite adhuc quædam ponere.

CAP. II. DE PLETHORA.

QUICQUID de Plethora dici possit, hic omne dicere in animalium non induximus. In antecedenti enim capite de Plethora incommodis jam locuti sumus; hic vero paucis saltus dicemus, quod sanguinis abundantia frequentissime in corpore humano oriri soleat.

Necessarium est, hoc brevi delineatione paulò clarius ante oculos ponere; quia quotidiana objectio non solum a vulgo, sed ab eruditis etiam circumfertur, in corpore non posse sanguinem abundare. Der Mensch könne nicht zu viel Blut haben, er solle sich lieber das Blut in Leib kauffen.

Est vero Plethora, quando sanguinis copia insigni gradu illam proportionem superat, quæ ad quotidianum & necessarium vitæ usum exquisitè requiritur.

Quantitas sanguinis ad amusim hic nō determinatur, nec dici potest, quota gutta Plethoram facere incipiat; Sufficit, quod notabilis quæda abundantia Plethora nomen mereatur. Non

Non absolute necessarium est, ut omnes homines in statum plethoricum deveniant. Quanvis enim quotidie edamus, & cum novo chylo ad humores perpetuo augmentum admittamus: non tamen ideo justa humorum proportio necessario turbatur. Quia per motum sanguinis ordinarium, & per corporis exercitia, tantum sanguinis consumi & in serum resolvi potest, quantum ex quotidiano cibo singulis diebus in venas admittitur.

Est enim falsa quorundam perswasio, qui sine fundamento arbitrantur, sanguinem, quem in infantia tanquam dotem a matre acceperimus, in proveftam usque senectutem durare, & Balsami vitalis vices sustinere, cuius cum ultimæ guttæ denique deficiant, mortis necessitas inducatur. Hæc dicuntur saltem, nullamq; fidem merentur, nec facile apud prudentem inveniunt. Sangvis, qui in juventute & adolescentia conficitur, ejusdem bonitatis est, cuius est sangvis infantia. Non possent tam multi homines vitam suam ad senectutem usq; producere, qui frequentissimas hæmorrhagias, tam naturales, quam artificiales, experti sunt. Nec habet infantilis sangvis tale privilegium, ut non per continuum attritum & attenuatorium motum in serum æque resolvatur ac alias sanguis.

Sangvis ex mucositate, oleositate, subtili terra & aqua, in gelatinosum & spisiusculum humorem combinatus est. Postquam vero per motum protractionis & circulationis diu contritus & attenuatus est, denique in sua principia resolvitur & in serosa subtilitate per exhalationem, per sudores, per transpirationem, per bilem, urinam excernitur. Ordinariè hæ excretiones copioæ sunt, & indicant, quod semper multum serigeneretur.

Ubi motus consumptionis rite succedunt, & ab externo corporis exercitio adjuvantur, nō difficile est, humores in justa quantitate proportione conservare: Non pli accrescit, quā decrescit; Augmentū cum decremento quotidiano bene respondet.

Requiritur autem, ut labores & motus corporis cum diæta & vivendi ratione justam æqualitatē habeant, & bene invicem con-

conveniant. Qui multis cum sudoribus & magna cum defatigatione laborat, vires suas copiosiore & repetito cibo commode resarcit; Qui parum laboris habet, in diæta quoque parcior esse debet: Qui secus agit, errat, & sanitatem suam periculo exponit.

Noli jam mirari, quod in pagis & apud rusticos minori frequentia morbi se offerant. Poscent cives, qui urbes incolunt, eadem felicitate frui, si eandem cum iis vitæ rationem agerent. Prorsus ineptum est, exempla rusticorum contra V. Sectionis utilitatem adducere. Concedamus, sine venæfectionis auxilio tantam sanitatis constantiam rusticis contingere; sed ibi strenuus labor compensat venæfectionis usum & finem, atque adeò ejus vices sustinet. Ubi sangvis sufficenter consumitur, ibi evacuationis necessitas perit. Denique adhuc verum manet, quod etiam rusticci in plurimis morbis primo consilio ad V. Sectiones confugiant, de quo tonores ultra votum testari possunt.

Numerus morborum in civitatibus longè major est, & habemus rationem, cur credamus, quod incolæ urbium culpam hujus infortunii sibi ipsis tribuere debeat. Ex divina ordinatione necessitas hæc non fluit, sed ex otio, ingluvio, irâ &c.

Creavit DEUS hominem firmo corpore & membra robusta apposuit: Eo ipso destinavit ad tales actiones, quæ cum vi quadam & labore agendi perpetrantur. Historia primi orbis commemorat, quod mox post lapsum DEUS homini injunxit, ut in sudore vultus panem suum comedere debeat; Hoc est, Corpus hominis post patratum peccatum in eam conditionem devenit, ut ad sui conservationem motum & labore requirat, non sicut propter rationem ciborum, qui laborando queruntur, sed etiam, quia ipsum exercitum ad sanitatem & ad corpus firmandum conductus. Est quidem poena, laboris necessitas: DEUS vero non ita punit, ut non simul poena in admiranda harmonia cum conservationis ordine conspirare possit. Potuit certe Adamus per laborem in debita fluxilitate sanguinem conservare, & cum sudore periculum avertire, quod ex corrupto appetitu & varia edendi libidine nasci poterat.

Man.

Mandatum laboris primario ad Virum pertinet: Fœmine non prorsus excluduntur; sed quia sunt membris debilioribus, tantum laboris impetum merito etiam non sustinent: Sunt ad pariendum destinatæ, & in liberorum educatione potissimum habent negotium; unde multa illis impedimenta occurunt, ob quæ ad alios labores minus se accommodare possunt. Succurrat vero Natura his adhuc alio modo; ut plethoram supervenientem occasionaliter cum menstruo & lochiorum fluxu evacuare queant. Sic uterque sexus ex DEI Decreto juxta pœnam utilitatem quandam percipit, si necessitati cum obsequio se se accommodat.

Plerique homines non attendunt hanc ordinationem DEI, & labori corporis se subtrahunt: Sed non effugiant pœnam; multo magis se ipsis puniunt, & varios morbos sibi attrahunt.

In antiquis Germaniæ monumentis legitur, quod veteres olim vix alios morbos sciverint, quæ qui ex vulnerationib⁹ aut contusionibus contigerunt. Jam dudum desit felicitas illa; morbi enim magno ubi vis occurrunt numero, quorum in ista temporum diversitate immutatam vivendi rationem causam esse arbitramur. Evidem posterior ætas a barbaræ denominationis contumelia Germaniam vindicavit, attamen cum civilitate, mollitiem, pigritionem, & ignaviam magnam introduxit.

Magna pars hominum totam vitam in otio tranfigit: Honoratores labore corporis etiam pro dedecore aestimant: Alii laborant quidem, sed in talibus occupati sunt negotiis, ex quibus sana corporis integritas parum emolumenti consequitur. Meditatio enim, scriptio, librorum lectio, & similes placide & ferè immobiles occupationes, in laborum catalogum apud Medicos vix admittuntur. Numerus eorum, qui vitam sedentariam in urbibus agunt, ferè medietatem superat, aut proxime accedit.

Ceterum in cibis assumendis nihil gulæ detrahitur. Multi edunt, donec venter nihil amplius capere potest. Imo cum tanta varietas ferculorū apponitur, corrupt⁹ appetitus ad plus assumendum semper instigatur. Supervenit denique conser-

tu-

tudo, & ad voracitatem habitus acquiritur, ut minori ciborum quantitate in posterum contenti esse nolint. Uno verbo, plus editur, quam per laborem corporis consumitur. Tali ratione necesse est, ut brevi tempore humores in corpore abundant, & quantitatis justa proportio recedat.

Si tali modo vivitur, omnes homines in nimiam sanguinis abundantiam & subsequentes corruptelas facile incurront. Intetim adhuc multo magis illi ad plethoram propendent, in quibus alias Natura plus sanguinis conficit, quam pro praesenti usu & quotidiana necessitate requiritur.

Tales primo loco numeramus pueros & juvenes, qui adhuc in statu crescendi versantur. Illis Natura suggesterit sanguinem non tantum ad quotidianum usum, sed etiam, ut corpus possit augmentum capere. Hinc est valde vulgaris dicendi formula: *Junge Leute, die noch wachsen, pflegen stark zu essen.*

Deinde hoc pertinent, qui cum magna defatigatione labores diu tolerant, & mox ad otiosam & tranquillam vitam se conferunt. Asservit Natura, propter copiosam consumptionem, sanguinem in majore copia confidere. Remanet haec consuetudo, etiamsi labor & exercitium corporis omittatur.

Tertio loco memoramus foeminas, quibus superfluus sanguis ordinariè ad excretionem paratur. Si ille ad exitum non perveniat, praesens Plethora adest, & repentina quoque angustia oriuntur.

Adjungere hic possumus etiam alias evacuationes consuetas, quæ similiter intentionem sanguinem augendi inducunt. Erit de illis alibi occasio dicendi.

CAP. III.

DE EVACUATIONIBUS SANGVINIS NATURALIBUS s. SPONTANEIS.

DUm jam in eo versamur, ut ulterius declaremus, quomodo intentio Nature ad quantitatem sanguinis minuendam respiciat, Evacuationes sanguinis naturales praeterire non debemus.

Vulgo

Vulgè sub naturalium sanguinis excretionum nomine, tam
tum menses & lochia comprehendunt. Hæmorrhagias nari-
um, Hæmoptyses, mictum cruentum, Hæmorrhoides, simi-
lesque a denominatione excludunt, & ad præternaturales
magis referunt. Nos verò sub hujus capituli titulo omnes
hæmorrhagias complectimur, quæ ab interna causa & sponte
veniunt. In præsenti consideratione non attendimus prö-
fusiones sanguinis, quæ à lapsu, allisone, jaclu, erosione, vul-
neratione aut ab artificiali apertura dependent, nempe exter-
nis violentis causis.

Naturales ideo dicimus, quia ab ipsâ Natura, seu princi-
pio, quod ad agendum in corpore præsto est, voluntariâ seu
spontaneâ congectione & expressione concitantur.

Non difficiles erimus ad hoc credendum, si in causam hæ-
morrhagiæ paulò accuratiùs inquiramus: non enim suffi-
cit, effluxum sanguinis unicè attendere, sed consideratio se la-
tius diffundit. Circumstantiæ, quæ antecedunt, & quæ se-
qvuntur, bene connumerandæ sunt.

Primo meretur notari, quod hæmorrhagiae frequentissimo
numero hominibus de cætero optimè sanis contingent: Ideo
non licet originem à corruptis humorum qualitatibus deducere.
Necesse enim foret, ut omnes illi morbi, tanquam indi-
vidui comites adfint, quibus juxta coramunem opinionem
eadem sanguinis conditio adsignatur.

Sed exempla quotidiana docent, quod etiam illis accident
hæmorrhagiæ, qui sunt ingenii alacris, & sanguinem adhuc
satis fluxilem habent, quem tantum turgesfactione aliquâ, anteâ
nimium exagitantes, illas statim incurvant. Notamus
hoc è fine, ne credatur, sanguinem spissiorem unicè in cau-
sa esse, a cuius intercepto transitu subtiliores venæ aliæ obstru-
antur, aliæ sensim ita distendantur, ut dehincere necesse habe-
ant. Specialis utique congestio & expressio concurrit; de-
berent aliâs effusiones frequentissimè in cerebro, & in aliis in-
numeris locis promiscuè contingere, quia ubique subtilissima

C vasa,

vasa, & reliqua^z partes ibidem longe moliores sunt ; quam
alibi.

Ast verò eruptiones sanguinis in certis locis ordinariè
se exferunt, & consuetudinario reditu sàpius ad eadem re-
ducuntur. Solent enim cum ætatis immutatione, etiam loca
excretionis ordinariè immutari : quippe diversæ hominis æta-
tes in diversis quoque corporis regionibus hæmorrhagias mo-
liuntur, ut paulò post specialius annotabitur.

Miramur quoque non immeritò, quod multæ hæmorrhagiae
certum tempus ad recurrendum observent, ita, ut sàpè ad
accuratam temporis mensuram molimina excretionis redeant,
& ipsæ quoque effusiones sequantur. Menstruus reditus apud
omnes est notissimus. Fæminis eisdem primario contingit,
sed virilis Sexus proflus non excluditur : Siquidem etiam in
illis hæmorrhagiis, quas ma'culi patiuntur, ante omnia verò
Hæmorrhoidalibus, sàpè idem terminus annotari solet. An-
nua periodus rarer quidem est, sed tamen adhuc frequens.
Non pauci cum verno tempore hæmorrhagias certo eventu
expectant. Aliquando periodus redeundit tam accurate cu-
stoditur, ut nec dies deficiat. Sunt adhuc alia temporis sati
statæ commensurationes, quæ in historiis morborum occur-
runt, & quas apud Practicos Observatores reperire licet.

Pleraque, & ferò omnes hæmorrhagias, quæ sponte ve-
niunt, spasmadicæ tensiones comitantur aut præcedunt. Ali-
quibus inducunt gravitatem, & membrorum pondus augent:
Alii de magna angustia conqueruntur. Inprimis verò vari
dolores, tensivi, pressori, lancinantes, pungentes, circa illam
regionem se exerunt, quam spasmodicis circa presisionibus
ad excretionem Natura destinavit. Cessant dolores & molestus
fensus, ubi evacuationes ritè successerunt: Recrudescunt ve-
rò, si in exitu adstringentibus intempestivè turbantur. Multi,
qui talia aliquoties experti sunt, didicerunt, ex his ipsis ten-
sionibus & spasmis, hæmorrhagias sibi instantes prædicere.
Non ergo inanis conjectura est, quod talia hæc symptomata

ad

ad activam congettationem & expressionem sanguinis respiciant utili intentione.

Declarat utilitatem intentionis ipse Eventus, qui subsequitur. Ipsa hominum confessio, quotidiana testimonia suggerit: Pleraque hæmorrhagia, salubriter & cum magno levamine contingunt, modo non diriguntur ad tales partes, quæ ex conditione structæ difficulter per rumpuntur, aut factis statibus à deficiente exitu facilem corruptelam accipiunt. Hinc saepe sanguinis effusiones multis suspiriis & iterato voto à patientibus expetuntur.

Ex his, quæ diximus, satis clarum est, quod Fermentatio, quamcunque fings, causas immediatas hæmorrhagiæ constituere non possit. Nec in sanguine talem acrimoniam reperimus, quæ rosiu[m] suu[m] efficaciam venas aperire, idque certò loco & ad mensuram certi temporis agere soleat. Non possent hæmorrhagie tam præsentissimum levamen afferre, quia acrimonia adhuc remanet in sanguine, ubi per circulationem æqualiter distribuitur. Dolores, qui à nobis spasmодici dicuntur, semper universum corpus occuparent, nec possent cum exacerbatione & intermissione operari. Qui hæc statuant, non minorem difficultatem patiuntur, quam qui dolores parturientium ab acrimonia derivant, ubi tamen fœminæ melius ratiocinari, & intentionem Naturæ clarius cognoscere possunt.

In genere habent hæmorrhagie utiliem finem, sed utilitas ob varias circumstantias non semper obtinetur. Locus excretionis si commodus est, non parum juvat: Propterea salubriter sunt hæmorrhagiæ narium, mensæ, lochia, & hæmorrhoides: Periculosiores sunt, vomitus cruentus, hæmoptysis, & mihius cruentus.

Observamus autem, quod omnibus ferè etatis hæmorrhagiae solennes sint; pueris, ac adolescentibus, sanguinis profluvia, è naribus in primis, familiaria sunt, juxta constantem Experientiam, notante jam Hippocrat, 3. aph. 27. Non

nocent facile, nisi nimis copiose & frequenter redeant: Hinc Practici obseruant, quod in principio violenter opprimere non liceat. Plerumque capitis dolores auferunt, & pueris cum levamine, ac non sine parentum gratulatione, in solatum contingunt.

In Juvenibus sangvis magis molitur exitum per Venas pulmonis, & hanc ætatem ad phthisin & hepticam disponit, uti observat Hippocr. 3. aph. 29. Non quidem semper sequitur eruptio, sed congettiones versus pectus admodum familiares sunt. Hæmoptysis à tussi rarisimè nascitur, communiter tacite erumpit, aut sanè sine multa tussi. Facilius obtingit illis, quibus praecedentes hæmorrhagiæ cessarunt; Aut si ex agiliore vita genere factus fuerit transitus in otium: Ordinarium fere symptoma est, quod simul de angustia thoracis, & gravatione pectoris conquerantur. Præterea hæmoptyses per certos paroxysmos quibusdam redeunt, & contumaciter repullulant. Pueros vel senes raro aut nunquam afficiunt: nisi posterioribus hæmorrhoides confuetæ deficiant.

Fæminis menstrui sanguinis fluxus peculiaris est, & ad propagationem generis humani pertinet; Omnibus circumstantiis intentionem Naturæ demonstrat. Sicuti enim Natura fæminis, ad concipiendum destinatis, certò fine partes genitales formavit; ita quoque vasa in utero composuit, ut possit voluntaria respectivâ constrictione & relaxatione, sanguinem copiosius admittere, & ad exitum exprimere. Incipit menstruus fluxus tum demum, cum puellæ ad matrimonium aptæ sunt, & cum fecunditatis termino iterum desinit: Antecedunt plerumque spasmodes circa uterum tractiones, & periodus menstrua accuratè observatur.

Hæmorrhoides proiectiorem ætatem afficiunt, & valde frequentes sunt. Eveniunt utriusque sexui, & fæminis paulò maturius, si menses citò iis substituerint. Quò magis libere succedunt, eò sparsius repullulant; inò inreriorès, menstrua interstitia nonnunquam exactè observant. Antecedunt plerum-

rumque varia pathemata & spasmatica tractiones, quæ post felicem evacuationem iterum cessant.

Si hæmorrhoides externæ non succedunt, nec vena parœ suam abundantiam internè per intestinum rectum exonerare potest, accidit facilè, ut eruptio sanguinis per erroneous motus in renibus, aut stomacho eveniat, unde mictus cruentus, & vomitus cruentus, nomina fortiuntur.

Mictus cruentus, Sangvineis & Sangvineo-Cholericis familiaris: Non facile afficit juniores, sed plerumque Viros, aut primam senectutem. Cum calculo ejusque doloribus revera rarius evenit, quam sine insignibus doloribus. Quibus semel iterumque contigit, iis facile reddit, ut aliae hæmorrhagiae idem faciunt.

Vomitus cruentus pau'lo rario in virili, quam fæmineo sexu observatur. Fœminis quando accedit, ferè semper mensura vitia comitantur. Tensiones & pressiones circa splenem, ambi & ardore & puncturæ, ordinariè præcedunt.

Hæ posteriores excretiones, cum hæmoptysi, saltem ob loci periculum plerumque malecedunt. Alia vero salubriter accidunt; si debitum, facilem & moderatum successum habent, multos morbos præcavent, & ad præservationem inserviunt. Qvod si autem varii affectus præsentes sint, aut jam diu duraverint, supervenientes hæmorrhagiae frequentissime morbos feliciter solvunt, quam naturæ operationem Medici Criticam appellant.

Nam in historia morborum passim reperimus, & in praxi occurrit, qvomodo hac methodo febres, Epilepsia, Cephalæ &c. præsenti effectu, fuerint sublate aut mitigate.

Sunt denique adhuc aliæ excretiones, qvæ extraordinariam planè & pertinacem intentionem indicant: Intelligo illos casus, ubi in brachio vel pede sanguis sponte erumpit. Notabile exemplum retulit Dn. Præf. in Diff. de Motu Tonico Vitali:

Et notæ sunt abunde varicum in cruribus sponte aperi-
torum fluxiones.

CAPVT

DE CONSVENTUDINE.

Quid consuetudo in hominis natura valeat, pro dignitate non expenditur, cum tamen potissima medendi difficultas inde promanet. Non est figmentum, quod Medicis saltem ad ignorantiam obviolandam obtentui habent: Revera homo præ aliis animalibus hanc habet indolem, ut magno nisu, ingenti desiderio, perinaci intentione id agat, expertat & molliatur, quod jam olim sæpius egit & obtinuit. Prodit se hoc naturæ humanae ingenium etiam in re moralis, in negotiis quotidianis, in moribus, in cibo & potu, aliisque circumstantiis. Ubi sæpe animus ad lipothymiam usque excruciat, si non repeatat, quod diuagere & obtinere afflavit. Hac ratione frequenter accurata temporis memoria inducitur, ut Natura & horas dierum, & dies annorum, absconditæ admonitione, strictè observare sciat. Meretur in hunc sensum legi Disputa super admodum habita, de morbis habitualibus.

Efficacia habitualis dispositionis magnopere se exserit, ratio ne sanguinis excretionum. Hinc non tantum naturalibus & spontaneis haemorrhagiis necessitatem quasi redeundi auget, sed facit etiam, ut artificiales & violentæ profusiones, molimina revertendi post se relinquant.

Quibus spontaneæ haemorrhagiæ multa repetitione & diu turn exercitiō assuetæ fuerunt, illis sine multis incommodis non supprimuntur aut emanent. Licet proportionata quantitas & abundantia non adsit, attamen molimina, tempore solito, ad excutiendum denuo provocantur. Nam etiam menses non semper propter nimiam copiam, sed sæpè ex consuetudinis necessitate recurrunt; & venæ sectio, quæ intermedio tempore bonam quantitatem sanguinis extrahit, non impedit fœminas, quo minus menstruum fluxum adhuc expectare habeant.

Simile prorsus contingit in effusionibus, quas externa occa-

casio, vulneratio, lapsus, alliso, jactus, & artificialis manus excitarunt. Quamvis enim spontaneus Naturæ labor, sanguinem ad exitum non adeo facilè ducat, molimina tamen excretoria se exserunt, quæ partem lascam, menstruam, vel annuam repetitione accurate efficiunt. Hinc conqueruntur: Dass sie um den besthädigten Ort jährlich Flüsse bekommen, dass es sie reisse, spanne, ziehe. De venæctionibus quotidianaæ sunt observationes, dum vulgo queruntur; Wenn sie nicht wieder zur Ader lassen, werde ihnen der Arm ganz steiff und schwer, bekommen reissen und ziehen. De scarificatione specialiter annotant: Dass, wenn sie es übergehen, sie im Gesichte ausfahren, und dass es ihnen am ganzen Leibe unter der Haut jucke, und wie mit Madeln ziehe. Ubi præsentissimum remedium in repetitione habent.

Aliquando sed pro�us extra ordinem contingit, ut molimina etiam in solito evacuationis loco, aut in vicinia ad erupcionem pertingant. Pertinent huc exempla, quæ superius allegavimus.

Efficacia consuetudinis ad plethoram inducendam adhuc aliò modò agit: Nempe, qui diu cum multo sudore laboriosam vitam egerunt, illis assuevit Natura, eadem proportione sanguinem restaurare, qua quotidie consumebatur. Hæc ipsa deinde remanet consuetudo, etiamsi in otium & quietem se conferant. Non minorem habent appetitiam edendi, & sanguis, uti alias, augmentum capit, unde plethora, & varia incommoda pressio sequuntur pede.

Unde sanè tantò majoris considerationis, in nostro hæmorrhagiarum, aut artificialium sanguinis evacuationum, negotio, est, introducta jam tum consuetudo. Præcipue cum ejusmodi Artificialies Evacuationes, etiam nondum æquè urgente aut commotâ plethorâ frivole institutæ, facilè deinceps in Consuetudinem abire observentur, si modò in genere præsenti Plethora, licet quam maximè nihil urgenti, adhibitæ subveniunt. Imò plus dico, etiam nihil sensibiliter abundante sanguine, saepius, & præcipue circa certa tempora institutæ evacuationes, obser-

van-

vantur denique non minus in consuetudinale ejusmodi molimenter cedere, & circa temp^o illud præcipue, sese denuo exserere.

Ubi nempe silentio involvi nequaquam potest specialissima illa circumstantia, quæ excretoriis ejusmodi molimini bus assuetis, sese sistit; quod nempe præcipuum sensibilem commotionem, maxime circa strictum tempus consuetum suscipiant: Ante illud autem, ut & jam aliquandiu præterlapsò, minime æque efficaciter & prompte cooriantur.

CAPUT V.

DE MORBIS, QUI EX SUPPRESSIONE HÆMORRHAGIARUM ORIUNTUR.

EX intermissione vel cohibitis hæmorrhagiis, sive ab interna sive externa causa dependente, magna affectuum nubes propullulat. Morbi, qui inde veniunt, vel omnibus suppressionibus communes sunt, vel singulis specialiter contingunt. Differentiam potissimum, quam ibi observamus, locorum diversitas inducit. Interim plerisque affectibus hoc commune est, quod sanguinis imminutionem moliantur, & eatenus utilem intentionem habeant. Dum vero propter varia impedimenta non obtinent finem, denique etiam molesta & periculosa symptomata sequuntur.

Sangvis à solita excundi consuetudine cohibitus, multis modis nocere potest. Si enim eum segnior Natura toleret, & in corpore abundare patiatur, tunc spissior fit sanguinis dyscrasia, gravitas artuum, pondus omnium membrorum, angustia in toto corpore, inflammations, apostemata, aliaque plethoræ incomoda succedunt, vid. supra, ubi de nota plethoræ agebatur. Febres & palpitationes cordis admodum facile superveniunt, in primis si junior ætas, & activum agendi ingenium concurrat, aut consuetudo movendi vel laborandi præcesserit.

Quamvis hic impeditarum excretionum noxas recensentur, tamen non prohibemur, ipsas quoque hæmorrhagias, si quantitate & frequentia peccent, aut loco inopportuno fiant, in-

eun-

Eundem morborum catalogum redigere. Primum quod accidet, sunt nimiae Hæmorrhagiæ vel extrinsecus, à vino, a stu, curfu, ira, nimio nisu, &c. Vel intrinsecus, ubi præcipue duæ causæ eminent; 1) Si conservæ diutius suppressæ fuerint, denique verò iterum perrumpant: 2) Si intempestivè alienis locis fiant. Alterum quod concernit, quando excretio commendo in loco non succedit, versus alium, sive cum periculo, dirigitur, ut proinde abundans sanguis è pulmonibus, stomacho, renibus frequenter erumpere necesse habeat, quod non sine Phthiseos, Hæctica, Nephritis, Calculi periculo contingit.

Maximus vero numerus morborum e congettionebus est, quæ irritè conatu viam exeundi sibi quæsiverunt. Non enim quiescit natura, sed molimina diurna & varia suscipit, quæ dum intentionem non explet, ed frequentius & contumacius denuò oriuntur.

Sunt autem molimina nihil aliud, quam strictræ & spasmicæ tractiones partium, quas vasa sanguifera transeunt, ut ita sanguinis liber progressus intercipiatur, & sic ad speciales certas partes refringatur.

Ex hac compressione, & ad partes restrictione, deberet fieri eruptio; que si non succedat, ad minimum circà & intrà illam partem magna distensio oritur, ut inde sensus, modò tendens & vibrans, lancinans & pulsans, modo æstuans & ardens, sequatur, modò uterque concurrat. Neque verò solum à distensione tali nascuntur dolores, quamvis in partibus tenerioribus, & ætate juniore, ad actualem expressionem adhuc vegetius tendente Natura, illud magis fiat: Sed oriuntur sepiissime hi dolores, magis immediate ab ipsis tractionibus illis, sogniter & in fibris tantum aliquibus, sientibus: Quod magis solenne est in partibus spissioribus, & ætate magis sogni, vel temperamenti magis Phlegmaticis. Perfrequenter verò fiunt & tales dolores pure spastici, pressorii, rigidi; alium exquisitiorem sensum non inferentes, nisi quando pars ita tensam extendere vel motitare suscipit æger. Fiunt vero hi omnes etiam dolores ma-

ximè PROPTER sanguinem, ejusque congestionem & constrictiōnem instituendam.

Talia hæc molimina, postquam sepius recruduerunt, tandem habitualem dispositionem & consuetudinem afferunt; ita ut facilè in actum iterum provocentur, modo animi perturbatione, aut alia occasio irritationem exhibeant. Nec requiritur amplius, ut proportionata quantitas, aut materiae qualitas, praesentes sint.

Oriuntur ergo ex his congestionibus variū morboſi aſſet; in quibus maximè insignes, primò ſtaſes, ſecundò dolores, tertio ſpasmos, quartò tumores notare debemus. His ex locorum diſtretate aliæ aliaque circumſtantiae ac differentiae accedunt.

Narium hæmorrhagiae etiam adultis contingunt; ſed puerili etati magis familiares ſunt. Habent verò adulti præ aliis maximum inde levamen & praefentem efficaciam, quiā ipsiſ maximè impediri potest hæc excretio, & impedita, tales paſſiones inferre, quæ facta perruptione, levamen nancifcantur. Nec errat vulgus, dum obſervat: es ſey gut, wenn die Leute bluten, der Kopff werde ihnen davon leichte werden. Quodſi autem ſolitæ hæmorrhagiae ſupprimantur, & in naribus non perrumpant, facile & preſio pede ſuperveniunt Cephalalgia, Hemiergia, dolor capitis gravatus, ophtalmia, oculorum rubores, ardores, otalgia, tinnitus aurium, Parotidum tumores, inflations & inflammations; tumores toniſſilarum atque uvulae; & in Juvenibus & adolescentibus, propius versus thoracem ſe exhibent Angina, fauicium inflammatio, ſputum cruentum, palpitatio cordis, asthma ſicca, catarrhi suffocativi, hæmoptyes, Pleuritides & Peripneumoniae, Phthises, Heictica febres, aliaque, de quibus obſervationes Practicorum teſtantur.

De Menſtrui fluxus ſalubritate nemo dubitat: quando ſe minis tardius vel impeditius accidit, aut poſt eruptionem iterum ſupprimitur, conqueruntur de frequentibus doloribus capitis, de anguſtia præcordiorum, de difficulti respiratione, de membrorum laſſitudine, de ſpasmis circa abdomen & uterum: De ten;

tensione gravativa pedum: Sie klagten über Müdigkeit vom Treppensteigen, über spannen und ziehen im Rücken. Si diutius duraverit, succedit cachexia, tumores œdematosi, chlorosis, febres lente, aut in vividioribus, acuta. Aliquando hæmoptysis aut vomitus cruentus contingit; sæpius accidunt affectus spastica & convulsivi, dolores arthritici, Epilepsia, suffocatio spastica uterina, aliæque hysterica passiones.

Lochiorum suppressio eadem vel similia symptomata concitare solet. Mihi præterlapsa hyeme duo exempla observare licuit. Altera scemina in hæmoptysin post varia symptomata devenit: Altera, cui ex refrigeratione, & gravissimo incendiis terore sanguis lochiorum substiterat, incidit in gravissimos arthriticos dolores, sequebatur acutissima febris, denique hæmorrhoides largiter fluebant.

De Hæmorrhoidum suppressiarum noxis in Pathologii & apud Præcticos magnum est silentium. Non miramur hoc, quia hæmorrhoidalis fluxus, ejusque tanta frequentia paucis Medicis rite innout. Ante annum & quod excurrit integra Disputatio de salubritate fluxus hæmorrhoidalis sub Præsidio Excell. Dn. Hoffmanni habita fuit. Esset eadem prorsus materia, si de suppressionis detimento ageretur. Quibus hæmorrhoides remanent, aut impeditius redeunt, conqueruntur de spasmis circa hypochondria, tensionibus circa os sacrum, de pressionibus circa lumbos & coxas, de flatulentia & colicis passionibus. Frequenter admodum mictus aut vomitus cruentus, calculus, nephritis, gonagra aut podagra, aut alii affectus succedunt. Ad evitandam prolixitatem me hic refero ad Disput. de Motibus Humorum Spasmodicis, duos ante annos, & duas de materia Hæmorrhoidalii universa, sub D. D. Præside nuper habitas.

Quæ hactenus de Hæmorrhagiarum suppressione diximus, adeo vera sunt, ut nec artificiales evacuationes, si assuetæ sint, impunè & absque noxa ciùd omittantur. Hac de re quotidiana exempla audimus. Et vulgi excusatio veritatem rei solenni formulâ confirmat: Sie wollten nicht gerne schröpfen, oder zur

Ader lassen, sie müsten es hernach wieder thun. Oriuntur autem ex hac causa non tantum varia molimina, sed fontici quoque affectus, quos alias plethora concitata solet producere. Hæc ita fieri, negare non possunt eruditii, sed in causa tradenda varie discrepant. Agnoscit Willisius ex frequentibus venæ sectionibus magnam ad febres promptitudinem, sed errat, dum id majori sanguinis sulphureitati adscribit: Quæ enim hujus Connexionis cum evacuatione, adeoque, juxta plerosque depauperatione Spirituositatis sanguinis? Verisimilior causa est alia ejusdem observatio, quod sanguis citius & copiosius in iis augeatur, qui venas quotannis sèpius aperire sinunt: solet enim natura abundantem sanguinem, postquam solitam excretionem frustre expectavit, per febriles motus vicario subsidio iterum consumere.

Frequenter admodum contingunt catarri, quos vulgus ita vocat, Rheumaticæ nempè gravitates & tensiones, quæ in primis loca venæ sectionum afficiunt; Paralyses, lipothymiae, asthmata, suffocationes, ex eadem origine aliquando eveniunt. Eodem die, quo hæc scribo, vetula 60. vel plus annorum, in ædes nostras venit, & cum summo suffocationis periculo in terram prolapsa est. Venam aperire statim jussimus, quo facto mox ad se reddit, & narrat, quod venæ sectiones quotannis adhibere assueverit, weil sie aber nun alt sei, hätte sie es übergehen wollen. Non pergo affectus alios speciatim hic recensere; vulgi narrationes supplere possunt, ubi hic deficimus.

CAP. VI.

DE HÆMORRHAGIARUM BENE SUCCE-
DENTIUM RESPECTIVA UTILITATE.

Non frustra sane notatur, quod illud, quicquid ad maius in commodum, expeditè, & longe minori periculo præoccupandum, inservit, hoc ipso respectu utile dici mereatur, quamvis absolute & in se, insolitum quiddam, & ordinariis Naturæ legibus minus congruum, appareat.

Tan.

Tanto magis verò pro utili habenda est ejusmodi res, quæ paululum insolito modo, talem rem aufert, quæ nullā aliā convetā & cognitā methodo corrigi poterat. Ad hanc normam si exigimus Hæmorrhagias in genere, concessio semel, 1. quod detur plethora, 2. quod eadem per varias causas exagitat, & turgefacta, infarctibus, corruptionibus acutis, in pus aut putredinem, materiam proximam suppeditare possit: 3. Quod tamen ita abundantis sanguinis nulla corre&tio, seu imminutio proportionata fieri queat, nisi per arbitraria illa, sed eō ipso voluntati hominum maximè fastidiosa media, incedam à priori, & laboriosos motus à posteriori: Imò qui talibus apex est calamitatis, per hæc utraque conjunctim: Concessis inquam his, uti negari non possunt, longè certè præsentissima, brevissima, & certissima methodus, est immediata sincera depletio.

Appellamus propterea hæmorrhagiarum utilitatem, Respectivam; nempe quod, licet de naturalis constitutio-nis sanguinis utilitate non sit, tamen de hujus primæ, promptæ, & solemnis aberrationis, nempe abundantiaz sanguinis consequentibus noxiis, per brevisimam viam plurimum de-trahat: Et cum ex ista longè graviores & frequentiores noxae metuendæ essent, hæc depletio, si bene succedit, istas directe intercipiat: Si vero etiam minus expeditè procedere posit, rariū tamen tam impetuosas, aut tam diffusas turbas, & peri-cula post fese trahat.

Interim cum disimulare nullo modo, nedum negare velimus, quod à multiplici usurpatione hujus depletionis, de-nique magna, imò enormis facilitas seu proclivitas, introducatur: Tantò magis si occasio[n]ales causæ & inter has quidem præcipue ebrietates, corporis præcipites motus, iracundia ex-candescencia, concurrant: Fit utique non ita difficulter ex ejusmodi occasionalibus circumstantiis, ut eventus hæmorrhagiarum sensim sensimque in deterius vergant, licet intentio primo, imò adhuc hodieque primaria, & generalis, ab utilitate pristinā nihil recedat.

Quæ

Quæ quidem circumstantia est potior illa, & fundamen-talis ratio, cur potius artificiales evacuationes commendari mereantur, præcipuè præservativo scopô. Si enim Natura abundantiam sanguinis tamdiu tolerat, donec occasionali qua-dam causa in prætentaneam noxam, sive proximam potentiam nocendi, devolvitur; tunc in re præcipiti, opus quidem habet, evacuationem velociter moliri: Quia verò tum quantitas ma-teriæ, tum reliqua ejus qualitas, tum constitutio viarum, jam in casu necessitatis non æquè respondere potest, imò Natura ipsa in rebus urgentibus magis anxia, sollicita, & trepida, à gradu sua directionis facile aberrare potest: nascitur inde se-pe numero specialis eventus haemorrhagiarum, à generali utili intentione non parum alienus. Has ataxias compensat & resarcit proinde artificialis evacuatio, utpote in quâ omnia ista longinqua, operofa, extraordinaria molimina, nusquam con-currere necesse habent, ad quæ vel non, nisi coacta fese acci-nit Natura: Vel successivè affluescant, facile etiam temerè, & si-ne proportionata necessitate iisdem abutitur.

Hæc specialis ratio, post generalem utilitatem, est illa pri-maria conditio, quæ tantò magis Artificialium Sangvinis Eva-cuationum usum svadet, de quo proinde jam pressius agemus.

SECTIO III. DE VENÆ SECTIONE IN SPECIE.

CAP. I.

FUNDAMENTORUM BREVIS ET RELA-TIVA APPLICATIO.

Postquam in præcedente sectione multis modis, & satis dif-fusa explicatione observavimus, quod ipsa humana natura ad Sangvinis imminutionem magno labore respiciat, & cum utili eventu sepiissimè eam consequatur; non amplius dif-ficul-

ficultatem habemus, vene sectiones tempestivè & prudenter adhibitas commendandi, & tam ad curam, quam ad præservationem securè svadendi. Si ars imitari debet naturam, hoc certè verum manet in Medicina. Non est in Medici potestate, in corporibus suo lubitu agere, quicquid velit; nec temerè impeditre potest intentionem, quam natura sibi firmiter proposuit, & si posset impedire, plerumque non sine noxa illud fieret. Quamvis enim motus quandoque erronei in corpore contingent, ut plurimum tamen intentio generaliter utilis est, quæ nec a deliberato consilio utilior præscribi possit. Utilitatè illam maximè in sanguinis imminutione deprehendimus. Cum enim ex plethora tot noxæ & incommoda, ut supra annotavimus, in corpus humanum redundare possint, omnino salutaris naturæ labor est, quod abundantiam vel per consumtionem vel per evacuationem removere soleat. Merito naturalem hanc & spontaneam medendi rationem Medicus observat, & naturam in suo consilio imitatur. Non enim incongruum est, si consumptio & excretioni operosiori sanguinis, vicaria subsidia promptiora substituentes, exercitium corporis, & venæ sectiones suadeamus.

Quemadmodum enim spontanei vomitus, sudores, & Diarrhoeæ, salutari suo eventu Medicis ansam dederunt, Emetica, Diaphoretica, Purgantia & clysteres tempestivè præscribendi; ita non perperam agimus, si ex hæmorrhagiæ salubritate pari ratione discamus, vene sectiones utiliter adhibere.

Nec nova aut insolita methodus est, in sanguine minuendo curam quærere, quia jam olim antiquitas ex plerumque ægrotantium appetitu dejecto didicit, inediā etiam curandi intentione præscribi posse. Fuit autem integræ Methodicorum Secta, quæ fere in omnium morborum principio triduana aut diuturniorem inediā injunxit: Eo ipso nihil aliud voluit, quam ut sanguis hac ratione minueretur, dum, quod consumitur, non statim restaurari potest.

Non penitus improbamus hanc methodum, si prudenter instituatur, cum fundamentum in ipsa natura habeat: Nobis

verò non sufficit, nec seculo nostro respondet. Plerique enim detrectabunt consilium, si à Medico suadeatur, Empiricos vero, & alios nugatores, facilè sàpè audiunt: aut subsequente voracitate præcedens jejunium male commendabunt. Et quid dicent delicatuli nostri? si cibum illis denegare velimus, qui appetunt, cum etiam nauseantibus alias obtrudere soleant.

Quapropter omnino necessarium est, ut Venæsectiones in usum adhibeamus. Solet equidem propriis motibus & consiliis natura plethoram corrigere, sed non semper ita promptè labor succedit, modo consistentia sanguinis refragante, modo viis nimio plus impeditis, modò impetuose præcipiti concitatione & exundatoriâ turgescentia sanguinis coortâ: Imo fluctuante non rarò, ex malis moribus, ipsa Natura: Unde aliquando cum periculo, aliquando cum summa molestia conjunctum est hoc molimen. Hic, ubi deficit natura, opus est succurrere, ita tamen, ut vicariò auxiliò eadem intentio expediatur.

Venæsectionis utilitas non una est: Tollit immediatè plethoram, consectarias molestias, & simul febrium, periculosoris consumtionis necessitatem, aufert: Maximus autem usus Venæsectionum est, ut solitarum Hæmorrhagiârum vices sustineant, molimina illarum operosiora antevertant, aut consuetudinem semel inchoatam continent. Si hæmorrhagiæ commode loco, & sufficiente quantitatis evacuatione succedant, non æque necessarium, nec utile esse ducimus, venæsectioni vicarium locum mox concedere. Ideoque nec Narium hæmorrhagiæ ordinatas, & moderatas, nec bene succedentes Hæmorrhoides, per venæsectionem turbamus, aut hanc illis sine necessitate substituimus.

Quod si autem propter varia impedimenta ad eruptionem non expeditè pertingant Hæmorrhagiæ, tunc certe svadet utilitas Venam secare, aut alia artificiali ratione Sangvinem sincere emittere. Præcavemus enim hac ratione, ne sanguis in pulmonibus, renibus, aut aliò periculosori loco erumpat; molimina etiam avertimus aut mitigamus, quæ excretoria loca, & viciniā

niam, sepe cum multo dolore & molestia, afficiunt: Ante omnia vero placamus Naturam, quae ex solitis ventilationibus sibi quasi legem & necessitatem repetendi statuit. Me hic refero ad consuetudinis efficaciam, & in capite subsequenti ulteriore declarationem promitto.

CAPUT II.

UBI SIT VENÆ SECTIONIS USUS, UBI
SIT ABUSUS.

Temere & sine causa ad V. Sectiones confugere non solum demus. Cum enim repetitus illarum usus consuetudinis necessitatem facile post se relinquat, merito primum consilium est, an non leviora plethorae incommoda, per temperantiam, per jejunium, per motus & labores corporis, remove reliceat. Quod si haec ab ægrotantibus, uti plerumque fit, impetrari non possint, ad V. Sectiones denique recurrentum est.

Postquam in precedente Sectione de incommodis Plethorae, de morbis suppressarum Hæmorrhagiarum, & etiam de consuetudinis efficacia egimus, possent haec ipsa prudentem lectorem satis docere, ubi venam utiliter secari censeamus. Interim adhuc breviter potiora morborum nomina indicamus, ubi celeberrimi Practici V. Sectiones feliciter adhibuerunt, & uti etiam medica theoria utilitatem a priori, per indicantia argumenta monstrare potest.

Indicat autem V. Sectionem non solum abundantia sanguinis manifesta, sed in primis conservata sanguinis evacuatio; & si utrumque concurrat, multò magis urgetur. Medicus enim sedulo inquirere debet, num hæmorrhagiae sive naturales sive artificiales, aliquando, vel frequenter praecesserint. Nam Adfæctio hoc infert, ut Natura ne quidem per vicarias sanguinis imminutiones, inediā, vigilias, & labores placari possit; sed varia concitat, & obstinatè persegitur, molimina, quae ad actualem excretionem spectant.

Si hæmorrhagiae loco congruo, & proportionata quantitate succedant, Vena non secunda est: Secus est, si impeditus fluant, vel prorsus supprimantur: quale contingit in narium

Hæmorrhagiis, Mensibus, vel Hæmorrhoidibus suppressis. Efficax ibi est V. Sectio, nec saltem abundantiam aufert; & spasmodica consectoria prævenit; sed in Sangvineis, aliquando fluxum ordinatiorem præsentissimè revocat, uti mihi hoc anno observare licuit, quod eodem die post V. Sectionem solitaria rum hæmorrhagia, & post Scarificationem, Mensium fluxus redierit, qui tamen per integrum annum cessaverat.

Qvibus nimia Hæmorrhagia eveniunt, illis V. Sectio tempestiva ad præservationem intervire potest. In Hæmoptysi, Vomitu, & mictu cruento, sanguis semper periculose excernitur: Cam igitur hic ex Plethora multam profusionem suspiciamur, vel sub initium Venam secamus, vel post paroxysmos ad præservationem svademos.

Fœminæ, quibus abortus, uti fit, cum multa sanguinis profusione contigit, si eodem sequentis graviditatis tempore venam aperire sinant, à novo periculo facilius se præservare possunt.

Latissimus usus se exerit in spasmis, & congestionibus, quæ vel loca excretoris, vel viciniā afficiunt, & exitu non parato sœpius redeunt.

Possit V. Sectio in puerili ætate aliquando locum habere, ubi naribus non amplius sanguinem fundentibus, varia capitū incommoda contigerunt; sed ibi non tantopere requirimus, cum etiam tota Germania abhorreat, nec facile tale consilium admittat. Et si verum sit dicendum, facilioribus quoque aliis remediis, ὡς ἐν τῷ πολὺ, ista pathemata disspellantur. Interm̄ solet etiam adultioribus non raro, sanguis versus caput frequentius regurgitare, qvod sœpe illi experientur, qui speculationibus literariis & lucubrationibus student, aut vinum inconsueti bibunt, aut qvibus sanguis per Menses, vel Hæmorrhoides internas non evacuatur. Incidunt propterea in Ophthalmiam, Cephalalgiam, Hemicraniam, Oitalgiam, vertiginem, tinnitus aurium, Odontalgiam, tumorem tonsillarum, Anginam, uvulæ procidentiam, & similia.

Quando spasmi & molimina afficiunt thoracem, tunc plurimum non tantum utilitas, sed quoque necessitas V. Sectio-

ctionem urget. Accidit enim Angina, Asthma siccum, Capharrus suffocativus, motus convulsius diaphragmatis, compressio thoracis, angustia p̄cordiorum, palpitatio cordis, ubi nec ipsi V. Sectionis hostes presentem saepissime ejus efficaciam negare possunt.

Si in infimo ventre excretionem Natura moliatur, exserunt se tractiones, dolores, spasmi circa hypochondria, circa uterum, os sacrum; Malum Hypochondriacum, Iliaca passio, Malum Ischiadicum, Nephritis, calculus, suffocatio hypochondriaca, hysterica, Hemorrhoides cœcæ, Colica hæmorrhoidalis, Arthritis, aliaque pathemata.

Syncope, Paralyſis, Epileptia, Gutta serena, hæmorrhagiæ intermissas aliquando manifestè accusant, & Venæ seccio-nem requirunt. Ischuriam per sanguinis subtractionem praesentis mē solutam fuisse, Riverius & Tulpius memorant.

Hæc nomina morborum, non ea intentione refero, ac si semper V. Sectio necessario adhibenda sit: Hanc enim plerumque tum demum commendamus, ubi alia medicamenta non constanter sufficiunt, aut ubi symptomata saepius revertentia, talem præservationem requirunt. Manifesta interim plethora et eluctationis præsentia elucescente.

In nulla febre, qua tali & jamjam efformata, V. Sectio absolute necessaria, aut utilis est. Nam per ventilationem avocatur Natura à correctione & sanguinis consumtione: Turbatur enim intentio, & intempeſtive ad turbulentas congestiones via monstratur. Hinc fit, quod propteræa circa crisi morbi, alia methodo perficiendam, congestiones sanguinis, Cephalgia, deliria, angina, convulsiones, mors, subsequantur. Et observat Sydenham, quod in febribus acutis, post veniam sectam vigor defervescendi, in primis circa tempus, ubi hoc fieri deberet, languescere soleat; adeo, ut si hoc casu non succurret Medicus alexipharmacis & diaphoreticis medicamentis, atque regimine conveniente motus febribus in ordine conservaret, possimus certò dicere, etiam nocuisse V. Sectio-nem.

Multo minus usum habet in malignis febribus, petechialibus, febre hungarica, epidemicis & contagiosis, ubi non qua-

Nio est de Sangvine consumendo, sed de materia tenuissima, & finul agilissima, vaporetenuis è corpore expellenda. Ait si venas temet, ita fuerit, & versus Criticos, pathemata graviora circa caput supervenerint, tunc utique necesse est, venas sub lingua amplius secare, ita tamen, ut sanguis largiter effluat, alias enim lev renon solet.

Placet hic allegare insignem sane locum è Tilingio, de Febb. Petechial. Sect. 2. c. 2. quem pro caute à judicii Practici aliquoties commendantem audivi D. Præsidem. Recenset ibi Autor testimonia Autorum, partim pro utilitate imò necessitate V. S. sentientium, eandem averstantium. Subscribit ipsem prioribus. Sed maximam profecto in hoc, tanquam specimene talium testimoniorum Practicorum, adhibere decet circumspetionem, ne temerè assensus adjiciatur. Omnes, quotquot pro affirmativa adducit Autores, colorant opinionem tuam generali Ratione: Plethora sine noxa evacuari posse; imò commodè id fieri: quin fieri debere, quia omne abundans sit auferendum. Sed status controversiae est: An in febre, & quidem maligna præcipue, nulla exceptio sublit? Provocant certe ad hanc omnes illi, quicunque ibidem citantur negantes: Hi omnes provocant ad Experientiam, propriam & communem: non in paucis, sed numerosis ægris observatam. Ubi sane, quantum generales rationes, abulant à speciali Experientia, attendere summopere decet: Cui quidem Experientiae in ipso hoc proposito de V. S. utilitate in Petechialibus, calculum suum absolute ab Experientia frequentissima propria, adjicit ipse D. Præses.

In intermittentibus, ut adhibeat, causa directa nulla est: Nec in morbillis aut variolis, ut sic, convenit: In adiutoribus tamen, Sangvineo-pléthorici habitus, habet locum; Subjungendo saltē Alexipharmacā, parvis sed frequentioribus dosibus, & temperata quidem. In scabie aliquando usum habet.

In omnibus terroribus usurpare, supervacuum est: Sed post diurniorem Lipothymiam, aut Syncopen magnum usum habet.

Requiritur autem, ut V. Snes tempestive, prudenter, & justa methodo administrentur, uti in sequente capite docebitur.

CAP.

**QUÆ SIT METHODUS ADMINISTRANDÆ
VENÆ SECTIONIS.**

Non sufficit medicinam in usum adhibere, sed etiam conditio morbi, tempus, & aliæ circumstantiæ considerandæ sunt. Si generaliter loqui placeat, commodissimus Venæ Sectionis usus est, eam vel in principio, vel in declinazione morbi adhibere, aut extra paroxysmum ad præservationem præscribere.

Nihil magnopere nobis promittimus, si in vero incremento instituatur, & fere nihil juvat, si fiat in ipso statu morbi. Si aliquando efficaciter etiam hic profuerit, facile sit, ut Naturæ idem prorsus remedium extorquere in posterum laboret, si affectus denuo oriatur.

Ubi spasmi sangvinem ad certas partes congerunt, si generalis aliquis vasorum selectus non immitterito. Quæ enim Veteres de revulsione & derivatione tradiderunt, non prorsus rejicienda sunt; licet illi circulationem Sangvinis nondum agnoverint, sed ipsam Experientiam fecuti sint. Et hac de cauf. Venæ Sectionem in superioribus svaldemus, si partes inferiores afficiantur, & vice versa: quoties nempe curative instituenda hoc modo, fuerit.

Si à certâ parte infarctus ibi sanguis, ob periculum derinandus sit, multa evacuatio fieri aut precedere debet, si universa abundantia una præsto sit. Ideoque in angina venam prius in brachio secamus, ne, si sub lingua parum flux erit, repentina congestio oriatur: Quod in primis, ut dictum, tunc requirimus, ubi manifesta plethora hoc urget.

Quemadmodum autem per Venæ Sectionem saepe id intendimus, ut per factam alterationem Naturam afficiat; Ita quoties hæc intentio adest, capaciora vasa commode feligimus, & paulo majorem incisionis aperturam intendimus: Si quidem sanguis cito, copiose erumpens, sensibile corpus magis alterare posse deprehenditur.

Quando animus est, ad partes certas sanguinis fluxum dirigere & allicere, tum Venæ Sectionem in parte illi vicina uti-

Ijter infituum: Et propterea in pedibus eam suademus, si menses, vel hæmorrhoides revocande sint.

Quantitatem determinare præcise non possumus: Variat enim pro personarum, vel morborum diversitate. Sensibiliores naturas etiam levis evacuatio alterare potest, in primis tempestiva, & si sanguis copioso & repente effluxu exiverit. Interim utique attendendum est, ne ventilatio nimis parcasit, sed ut antecedentibus hæmorrhagiis, plethora, & consuetudini respondeat. Naturam enim ad intentionem excernendi saltem frustra concitare, & quasi admonere, aliquando noxam dedit. Hoc certum, quod jactura Sanginis in se spectata, magna fieri possit, absque notabili debilitatione aut alteratione. Communiter à tribus, ad quinque, sex, aut septem uncias, evacuare convenit. Plus semper in pedibus, quam brachiis; p. 38.

Senibus V.S. affuetis succulentis, vegetis, ad 80. usque annos continuare, minimè noxiū est: contrarium vero com-
muniter.

Quando in Hæmoptysi, aut simili affectu destinata conges-
tio sanguinem ad eruptionem coegerit, ibi parva missio in prin-
cipio mali nihil magnoperè juvat: Postquam vero hæmorrhagia per paroxysmos aliquoties jam deferuit, ibi etiam mode-
ratio imminutio locum obtinet.

Ad præservandum si adhibeas, vernum & autumnale tem-
pus commodissimum est. Maturas horas eligere, non præ-
cise urgemuſ, nec tamen improbare possumus, si commoditas
ferat.

Nec etiam pro superstitione interpretabimur, si quis lu-
nae mutationes attendat, & decrescente luna Venæ Sectionem
fusciat; quia hoc tempore ad humores dimittendos, Natura
in primis proclivis est, ut crescente, ad augendos & retinendos.
Abusus V.S. fit, si sine causa, intempestive, crebro nimium, utares.

Quod si hac methodo, in convenientibus morbis proce-
datur, experientia confirmabit, non falsas esse observations,
quas Galenus, Forestus, Botallus, Sydenham, Riverius, Ru-
landus, Rofinkcius, Ettmüllerus, Veteres, aliique Practi-
ci de Venæ Sectionis utilitate habent.


Ua 5316



sb

WOMY

B.I.G.



Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

Black

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,
QUÆ EXHIBET

VENÆSECTIONIS

PATROCINIUM,

SIMUL INDICANS

EJUS USUM ET ABUSUM,

Quam

DEO BENEDICENTE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPĒ AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

ELECTORATUS BRANDENBURGICI HEREDE,
&c. &c. &c.

JUSSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,
SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Excellentissimi, atque Experientissimi,

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,

D. ET PROF. PUBL. h. t. DECANI,

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SUI
omni observantiae cultu prosequendi,

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura, Privilegiaque legitime capessendi

Ad diem XXV. Jun. M DC XC VIII. H. L. Q. C.

Publicæ disquisitioni proponet

CHRISTIANUS ALBERTUS Richter/ Sorav. Luf.

RECUSA HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1715.

